

Deum, et leges ei imponant: accinxit se proinde ad Holoferneum decollandum, ac licet gladium non acciperet, peram tamen accepit, in qua caput ejus recenderet, quasi certa de eventu prospere et optato. Quare omnia ad nutum effecit, et gladium reperit al lectum Holofernis. Quamquam etiam se in divinam providentiam projecit orans, ut faceret Deus secundum divinam voluntatem suam cum illis. Modo igitur pie et juste vivamus, non est quod timeamus, quidquid Deus fecerit aut permiserit; Judas Macehabæus dum Deo fidens pugnabat, semper triumphabat; ubi vero fœdus cum Romanis iniens fidere in humanis præsidis cepit, tunc succubuit, I. Macch. VIII.

III. Videte ejus humilitatem. Tametsi enim vir bonus, et in dignitate constitutus erat, gentem Hebræorum amabat, synagogam eis ædificarat, ideoque ab iis dignus prædicabatur cui talis gratia fieret, ipse tamen ait: *Domine non sum dignus, ut vel sub tectum meum intres.* Tectum appellat domum suam procul dubio licet splendidam: nec reputat se dignum qui appareat in conspectu Christi. Ecce vobis insignem orationis comitem, ad impetrandum efficacem humilitatem; quæ quo major fuerit, eo potentius penetravit cœlum, ad instar arcus, qui quo magis deorsum tractus tenditur, eo altius ejaculatur sagittam. Unde Ecclesiast. XXXV. dicitur: *Oratio humiliantis se nubes penetrabit.* Ad Henricum VII. imperatorem venerant Spiram Argentinenses aliqui selecti cives, privilegiorum suorum confirmationem petentes, ac se missos a dominis Argentinensibus longo verborum ambitu narrabant. Eos derisit imperator nulla responsione dignatus, quasi ignoraret, quinam essent illi domini Argentinenses; donec se submitterent, ac se non dominos sed cives Argentinenses testarentur, Cuspinianus. Non satis profunde traxerunt isti chordam arcus sui, unde non penetrarunt cor imperatoris. Jam vero si homo non facile gratiam concedit alteri, qui se dominum appellat, vel quovis modo exaltat: humilianti vero se facile offert: quanto magis Deum id facere decet? Non ergo sperent gratiam et protectionem a Deo superbi, qui se ad supplicationes publicas humiliter obeundas demittere dedignantur. Non penetrabunt hi cœlum sagittis suis, nec responsum accipient: *Ego Dominus, et non est alius,* inquit Isa. XLV.

IV. Denique videte ejus discursum, quo modum orandi docet: *Habe sub me milites,* inquit *et dico huic: Vade, et adit; et alii: Veni, et venit; et servo meo: Fac hoc, et facit.* Tres servos habemus, quibus imperare in oratione debemus: domus nostra, corpus et anima. *Vade* dicendum domui et curis temporalibus, cum ad rem divi-

nam imus: quomodo Christus Petro cupienti impedire ejus passionem dixit: *Vade post me Satana, scandalum es mihi,* Matt. XVI. Domus nostra ejusque curæ impediunt plerumque et inturbant orationem. Huic ergo dicendum: *Vade Satana.* Non simus domiportæ, ut testudines, quando ad templum imus; sed cum S. Bernardo templum ingressuri ad limen subsistentes dicamus: *Manete hic curæ, donec ad vos revertar.* Quod videtur didicisse a magistro suo Stephano abbate, a quo in ordinem Cisterc. susceptus est. Is enim ingrediens in templum, ostium fortiter tenens, curas domesticas simili modo foris manere jubebat, quousque egrediens ea resumeret, ut refert Chrysost. Hering. in fascic. Cisterc. ord. illustr. virorum, p. I. dist. II. c. IV.

Veni dicendum corpori; *veni,* inquam, ad templum, ibi adora; ubi ob loci sanctificationem majora ad devotionem visuntur incitamenta, et securius est præsidium contra dæmonum tentamenta. Tametsi enim spiritus est Deus, et in spiritu adorandus, adeoque ubivis locorum adorari potest, locus tamen ad adorandum ordinarie ab eo deputatus est templum, ubi etiam propter multitudinem et concentum orationum potentiores fiunt preces. Accedunt sanctorum lipsana, quæ ibidem asservantur, et adjuvant orationes nostras. Quare si Judæi tanto cum fervore pergebant in Hebron, ibique vota solvebant, quod ibi multi illorum s. patriarchæ sepulti essent, ut patet ex II. Reg. V. § VII. item in Galgala, ubi duodecim lapides erecti erant, ut habetur I. Reg. XI. § XIV. denique in templum Jerosolymitanum ter minimum in anno quod arca in eo collocata esset: cur non potius pergant Christiani ad templa, in quibus tot ss. reliquias et ipsum redemptorem reipsa præsentem inveniunt? Persuasio dæmonis est, quod æque bonum Deoque gratum sit domi orare ac in templo; qua persuasionem decepit Jeroboam populum Hebræum, ne irent Jerosolymam. « Viri populares, inquit, notum vobis existimo, quod nullus locus Deo est vacuus, et quod is nullo certo loco includitur: sed ubique vota exaudit, ubique cultores suos respicit. Quare non placet mihi, hoc tempore vos Jerosolymam, urbem infensam, longo itinere proficisci religionis ergo. Homo illud templum statuit, quemadmodum et ego duas aureas vitulas consecravi, alteram in Bethel, alteram in Dana, ut pro locorum opportunitate ex propinquioribus oppidis ad eas confluentes, illic Deum rite adoretis, » ut refert Josephus, l. VIII. antiq. c. III. Sic eos traxit ad cultum vitularum suarum. Multæ in domo sunt vitulæ; ad quarum obsequium facile pertrahitur, qui templum invitatus adi-

Denique: *Fac hoc* dicendum animæ, ut inter orandum ad solum Deum attendat; id quod etiam gentiles sacrificantibus inculcabant, clamante præcone: *Hoc age, hoc age,* teste Plut. in vita Coriol. q. d. ad hoc unum attende, nec iterum aliud age. Quomodo discipuli recitant in scholis suas lectiones coram suis magistris? Colligunt omnes sensus, claudunt oculos, ad solam recitationem, et nihil aliud attendunt. Quomodo perorant coram regibus legati? Eodem plane modo, summa collectione et attentione ad unam dictionem suam. Quomodo se gerunt, qui in stadio currunt? Ab omnibus se abstinent, ad solam metam oculos dirigunt. Quid agunt illi, qui in medio inimicorum et æmulum suorum sedent in convivio? Hoc agunt, ut omnes gestus ad modestiam component, et singula verba illa exactissime ponderent, ne habeant adversarii, quo ipsos accusent. Sic etiam orandum coram Deo, ibi stamus et peroramus: cursu ibi contendimus pro corona cœlesti: versamur inter inimicos, dæmones, qui omnes nostros gestus et verba observant. Cujus rei exemplum recitat de sene quodam abbas Paulus, in prato spirit. c. CLX. « Cum die quadam sederem in cellula mea, operarerque manibus meis (tenebam autem canistrum, et psalmos repetebam) ecce per fenestram ingressus est quasi puer Æthiops, et stans coram me saltare cepit psallentique mihi dixit: Senex nonne bene salto? Ego autem nihil respondi. Rursus ait mihi: Non tibi placet hæc saltatio mea? Nihil autem respondentem mihi ait: Ecce putas te, male senex, magnam aliquid agere. Dico tibi quia et in LXIV. et LXV. Psalmo errasti. Tunc surgens ego procubui ad orationem, et ille evanuit. »

CONCIO III.

UNDE FLETUS IN INFERNO.

I. Oritur ex privatione cœlestis hæreditatis. — II. Ex separatione e medio justorum. — III. Ex consideratione tam vilium voluptatum, quibus perdiderunt cœlum. — IV. Ex defectu unius solum requisiti. — V. Et tot laborum frustranea susceptione. — VI. Ex neglectu tanti lucri, quod parare sibi poterant. — VII. Ex recordatione prioris felicitatis.

THEMA.

Ibi erit fletus. Matth. VIII.

Ecclesiastes, cap. VII. ait: *Melius est ire ad domum luctus, quam ad domum convivii: in illa enim finis cunctorum admonetur homo, et vivens cogitat*

quid futurum sit, quasi diceret: In conviviis avocatur animus a salutaribus consiliis, in domo luctus ad ea revocatur. Solent hoc tempore fere convivia frequentari: sed vellem etiam memoriam fieri fletus et luctus, de quo toties Dominus loquitur dicens: *Ibi erit fletus et stridor dentium;* sexies in Matthæo, et semel in Luca, diversis occasionibus. Primo, Matth. VIII. in hodierno evangelio, de filiis regni ejiciendis: secundo, Matth. XIII. de malis piscibus foras projiciendis: tertio, eodem capite de zizaniis separandis tritico, et comburendis: quarto, Matth. XXII. de homine non induto veste nuptiali, ejecto in tenebras exteriores: quinto, Matth. XXIV. de servo ebrioso et negligente: sexto, Matth. XXV. de servo inufili qui talentum suum defodit: septimo denique, Luc. XIII. de operariis iniquitatis. Neque hæc sententia multa expositione indiget. Clarum enim est, ubi fletus est, ibi miseria et calamitates esse non exiguas. Manifeste ergo indicant incomparabile damnum, quod incurrunt damnati, vel ob solam beatitudinis privationem, ut nihil dicam de pœna sensus: proinde hoc unum superesse videtur, ut ostendamus, quibus de causis fletus ille oriatur in damnatis.

Id vero nobis indicat Salvator, et quasi digito notat, dum variis occasionibus verba illa septies repetit.

I. Matthæi VIII. in hodierno evangelio de filiis regni ejiciendis in tenebras. Quinam vero filii regni nisi filii dilecti, et magnis Dei beneficiis præventi? Tales olim erant Judæi: nunc vero sunt Christiani catholici, præ cæteris exaltati, hæredes cœli scripti et filii adoptati, mensa angelorum pasti, qui si a tanta gloria, felicitate et hæreditate, et quidem mera sua petulantia exciderunt, quomodo non amarissime flebunt? Quis enim sensus foret filio regis, qui prius amantissime et blandissime a patre educatus habitusque, ob offensum patrem ab eo non solum ex hæredaretur, sed etiam a conspectu ejus longe propulsus in exilium perpetuum et carcerem truderetur? Certe Absalon prius patri tam dilectus, post ab aula patris exclusus, occidi potius optavit, quam eo exilio cruciari, et patris aspectu prohiberi, II. Reg. XIV. Vasco adhuc puer comitis Fosseii filius, et Caroli VI. Franciæ regis ex sorore nepos, ex falsa accusatione a patre in tetrum carcerem condemnatus, ibique maceratus, non ferens pœnam, licet blandiente patre, ut cibum sumeret, noluit, sed inedia seipsum confecit, Sabell. lib. V. cap. VIII. Sane si talis filius revocet in memoriam beneficia et favores olim a patre sibi collatos, jam vero omnes extinctos, et in summum odium conversos, quid

non sentiet doloris? Gentiles possunt ibi cogitare, se de regno Christi nihil scivisse: nec habuisse ea media salutis, quæ habuerunt Christiani: sicque minus quam illi, sentient suam ejectionem. At vero Christiani, qui tot media habuerunt, ut filii regni fierent, jamque ejus hæredes conscripti fuerunt, incredibili plane sensu jacturam ejus ferent. Quod si præterea filius ille cogitet loco suo alium quemdam ignotum et plebeium puerum a patre suo adoptatum et regem constitutum, nonne adhuc magis flebit? Certe pungeret debet et quidem acriter Judæos, quando audierunt ipsos quidem ejiciendos e regno in tenebras: eorum vero loco gentiles recubituros cum Abraham in cælo. Vidit aliquando S. Aldegundis abbatissa de stirpe regia oriunda (circa annum 640.) dæmonem dirissime plorantem, causamque ipsi interroganti hanc audit reddentem, quod illuc Adæ filios conspiceret ascendere, unde ipse cum suis semper exulare cogeretur, Hæchbaldus Elnonen. in vita 30. januar. apud Lipel. Longe magis plorabunt reprobi Christiani, quod Christi sanguine redempti exciderint e regno Dei, et eorum coronas alii a mundo abjecti rapuerint, rudes doctorum, sæculares religiosorum, pauperes subditi dominorum.

II. Matthæi XIII. in parabola de zizaniis separandis a tritico: illis quidem colligandis ad comburendum, hoc vero congregando in horreum. Zizania quid nisi reprobi? Qui quidem in eodem agro crescunt, quo triticum (hoc est, probi) eique sæpe ita similia sunt, ut non facile internoscatur: denique tritico sæpe se implectunt, ut vix separari queant. Sic ergo bonis mali permixti, non solum in eadem ecclesia, sed etiam in eadem urbe, pago, domo, familia, videntur sæpe moribus esse similes, amantque se invicem. At ibi videbunt reprobi se ab amicis suis quam plurimum in æternum separandos, nec unquam eorum conspectu amplius fruituros per omnem æternitatem. Nova hic fletus causa. Sane quando duæ illæ sorores Orpha et Ruth separari a Noemi socru sua, unica spe et solatio suo, eamque discessuram deserere debebant, semel iterumque elevata voce fleverunt, quia tenere eam amabant, Ruth, cap. I. Noemi significat *pulchram, suavem, amantem*; seu ut Josephus exponit, *felicitem*; adeoque denotat beatitudinem cælestem. Ab hac separari quantus erit dolor? Quis fletus? Quæ lacrymæ? Cum filii efferunt matrem, quantus ibi ploratus, quæ desolatio? At nihil hoc ad illam æternam separationem.

III. Eodem Matthæi capite reperitur in parabola de piscibus malis, hoc est, reprobis foras mittendis, et projiciendis in caminum ignis. Qui-

nam vero illi pisces nisi voluptuarii, qui quidem in hac brevi vita innatant mundi deliciis, quasi dulcibus aquis, quique vilissimis voluptatibus, veluti vermiculis hamo infixis inescantur et capiuntur? Quando igitur ex his aquis aliquando extrahentur et mittentur in caminum ignis, seu ut Apoc. X. dicitur, *in stagnum ardens sulphur*; quot quantosque ploratus edent, quod tam fluxis ac momentaneis vilibusque delectatiunculis, rumusculis, lucellis, dolores et probra æterna sibi compararint? An nescimus quantum fleverit, quamque irrugierit Esau, quando vidit se privatum benedictione et hæreditate paterna, vendita a se pro uno lentis edulio? Lysimachus Helleponti rex in Thracia cum exercitu siti affligebatur, et idcirco se suumque exercitum hosti Dromecheti tradidit: postea cum bibisset siti sedata ingemiscens: *O dii, inquit, quam pusillæ voluptatis gratia in servitutem me ex tanto rege conjeci!* Cælius, lib. IX. cap. XIII. antiq. lect. Idem dicent inferi et perpetuo repetent: In quantas calamitates, ob quam leves voluptates, me ex tanta felicitate conjeci! Pisces, quando in aquis cælestia sidera resplendent, ad eorum imagines recurrunt quasi ad escam, ut scribit S. Gregorius Nazianz. in carmen ad virg. Similiter ad ignem noctu accensum, ejus splendore delectati adnatant, interim dum inani prædæ spe lætantur, retibus cinguntur: sic et peccatores vana et inani rerum, quas sibi velut cælestes et solidas imaginantur, imagine capiuntur. Quomodo ergo non dire plorabunt, suamque venaniam deplorabunt, quod tam inanes umbras consecrati, in tantas miseria incidierint? Si regna et imperia, si montes aureos, si mille annorum delicias mundus eis obtulisset, essent hæc forsitan aliquid: sed cum nisi momentaneam unam voluptatem, luerum, honorem dederit, quomodo non lamentabuntur?

IV. Matth. XXII. in parabola de homine reperito sine veste nuptiali et in tenebras ejecto. Qui quidem ad regias nuptias invitatus, et de trivio evocatus fuit, insuper ad eas venit, quin etiam cum aliis discubuit. Amicus quoque a rege appellatus est. Unicum ei defuit, vestis nuptialis, ideoque ejectus est. Designat autem reprobum, qui ad fidem et Ecclesiam vocatus, jamque eam ingressus est; jam fide et spe, et forte etiam aliquamdiu charitate præditus cum cæteris Christianis discubuit, sacramentis Ecclesiæ et verbo Dei pastus: verum ad finem vitæ primum sine charitate deprehensus, ideoque ejectus est. Hoc nonne fletibus, et quidem sanguineis erit dignum? Multo sane magis, quam si ad nuptias sive Ecclesiam nunquam vocatus fuisset.

Jam pedem unum in cælo habuit, jam ejus nomen in cælesti regno inscriptum erat, jam corona et thronus ei destinatus. Unico defectu, et ultimo in passu totum quod habuit, perdidit. Cogitate Amanem illum, qui a rege Assuero super omnes exaltatus fuit in aula, acceptoque regis annulo ingentium opum promissionem habuit, ipsius etiam regis conviva erat: ubi tamen in convivio hostis, cujus crudelitas redundaret in regem ipsum, accusatus et repertus est, obstupuit et corruit super lectulum reginæ, Esth. VII. Cogitate Radbonum Frisæ ducem, qui cum pedem unum in baptisterio jam haberet, ex stulta persuasione iterum retraxit, ideoque damnatus est; quantus enim nunc lacrymarum oceanus in gehenna obruturus sit. Quantum alii gement, quando cogitabunt, se nuptialem vestem jam habitam temere abjecisse, et rursus toties oblatam repudiassent? Fuisse inter tot bonos, vidisse tot virtutum exempla, nec inde se emendasse? Hinc dicent: Frustra ergo baptizatus sum, frustra confirmatus, frustra tot sacramentis munitus, frustra tot opera bona multo labore comparavi.

V. Matth. XXIV. in parabola de servo ebrioso et desidioso, qui non observans adventum domini sui, cœpit percutere conservos suos, manducare et bibere cum ebriosis, ideo divisus est per medium, et cum hypocritis ejectus. Quis vero hic nisi reprobus, qui mundo potius et carni, quam Deo servit, adeoque crudeli domino? Contra monitum Sapientis, Prov. V. *Ne des annos tuos crudeli*, mundo scilicet, carni et dæmoni, quia mercedem dant, qualem Hebræis Pharaon. Certe si quis dominus injungeret servis suis, ut noctu vagarentur per plateas, digladiarentur, ad duella provocarent, cum ebriosis considerent, se ingurgitarent, clamarent, vomerent, humi deinde porcorum instar pernoctarent sub dio, more ebriosorum: nonne de domino suo tamquam duro et tyrannico jure quererentur? Nonne etiam grandi proposita mercede vix ad hæc induci possent? Postquam ergo hæc omnia sponte ex mera libidine fecissent contra voluntatem domini; si post ab hero includerentur in perpetuum carcerem, et durissime haberentur, nonne hi suam stultitiam meritissime deplorarent? Hinc certe damnatorum illorum lamentationes, Sap. I. *Lassati sumus in via iniquitatis, ambulavimus vias difficiles, etc.* Sap. VI. Sed accite: Quid laborastis, ut ita lassaremini? Num diu multumque orastis, jejunastis, eleemosynas fecistis? Num Deo servistis? Minime gentium, aiunt: sed Pharaoni et dæmoni servivimus, grandia pocula exhausimus, rixas et pugnas concitavimus, in amasiæ gra-

tiam nocte tota cum fidibus per urbem vagati sumus, dies noctesque curis et sollicitudinibus transegimus, et fere non in nostram, sed aliorum gratiam, ut uxoribus placeremus, ut liberis prospiceremus, dominorum favorem raptaremus. Ideo trans maria navigavimus, infesta latronibus itinera confecimus, vix somni et cibi capiendi tempus habuimus. Summa, ambulavimus vias difficiles.

VI. Matthæi XXV. in parabola de servo inutili, qui defodit talentum suum, quod debebat, ac poterat dare ad mensam, adeoque levissimo labore luerum sibi parare. Hoc enim agit reprobus, qui tot bonas occasiones redimendi tempus, salutem operandi et lucra parandi in hujus vitæ æstate negligit: propter quod gemet aliquando in hieme. Scimus ad quas angustias, lacrymas et calamitates devenerint Ægyptii, qui in annis fertilibus non providerunt sibi prosterilibus: quam lamentati sint coram Josepho, clamantes: *Da nobis panes, quare moriemur coram te, etc.* eoque miseriæ redacti, ut omnia sua et seipos tandem vendere Pharaoni coacti sint, Gen. XLVII. Non putatis ingemuisse illos, quod Josepho non crediderint, et sibi non prospexerint, cum tam facile possent? Sic etiam inferi cogitabunt: Quoties hoc mihi prædictum fuit? Quoties monuerunt parentes, magistri, confessarii, concionatores? Et ego aures clausi. Vidi Joseph, vidi plurimos alios sibi consulentes, et in futurum providentes, nihil tamen hoc me movit. O me stolidum! Fames illa septem annorum tantum fuit, at fames inferorum æterna est. Ibi remedium, etsi difficile, erat, hic nullum prorsus erit.

VII. Denique Lucæ XIII. in sermone de iis, qui se Christo bene notos et amicos asserunt: *Manducavimus coram te et bibimus, et in plateis nostris docuisti. Et dicit illis: Nescio vos unde sitis: discedite a me omnes operarii iniquitatis. Ibi erit fletus et stridor dentium, cum videretis, Abraham, et Isaac, et Jacob, et omnes prophetas in regno Dei, vos autem expelli foras.* Tales autem sunt, qui aliquando felices et quasi Deo familiares, vel in dignitatibus constituti fuerunt, et personam Christi sustinuerunt. Quanta vero miseria, fuisse aliquando felicem, nunc esse infelicem? Olim dominum, nunc servum? Id ostendit imprimis Job, cap. XVI. postquam e summis opibus ad summam calamitatem et pauperiem redactus erat: *Ego ille quondam opulentus, repente contritus sum, etc.* tametsi ea contritio brevis tantum et in rebus fluxis fuit. Multo acerbius impius ille rex Antiochus qui gravissima infirmitate percussus, et vermium squalore fetens, ut a nemine

toldrari posset, morte imminente sic lamentaretur : *Disi in corde meo : In quantam tribulationem deveni, et in quos fluctus tristitiæ, in qua nunc sum, qui jucundus eram et dilectus in potestate mea?* I. Macchab. VI. Hoc stimulo pupugit Abraham epulonem : *Fili recordare, quia recepisti bona in vita tua.* Quid jam prodest illis fuisse divites, accepisse honores? *Quid profuit nobis superbia, aut divitiarum jactantia quid contulit nobis?* Transierunt omnia sicut umbra, gemunt Sap. cap. V. *Augebitur hic luctus ex eo, quod subdit Christus : Cum videritis omnes prophetas in regno Dei, vos autem expelli foras.* Quando vidit Aman se Mardochei servum factum, ita ut eum per urbem per aliquot horas circumducere in regio equo deberet, et clamare : *Sic honorabitur, quemcumque vult rex honorari, quem honorem ipsemet sibi dandum spe jam devorarat, tantum inde doloris concepit, ut festinarit ire in domum suam lugens et operto capite, Esth. VI. Pudore nimirum suffusus a nemine jam videri volebat, neminem aspicere audebat. O quantum hoc modestissimo Mardocheo decus! Quantum arrogantissimo Amani dedecus erat! At nihil hoc est respectu illius ignominie, quæ corripiet damnatos, qui aliquando in mundo honorati et felices erant. Hoc est, quod sanctus ille abbas Alexander, in prato spirit. c. CLXVIII. præ oculis habuit identidem sibi dicens : Væ tibi Alexander, quanta erit confusio tua, quando cæteri coronabuntur! Te videlicet præterito et ejecto.*

Huc, huc, auditores, potius eamus, quam ad convivium. Si enim domum illam luctuosam meditatione nostra crebro adeamus, eam in persona nostra ibi non intrabimus.

CONCIO IV.

STRIDOR DENTIUM QUID SIBI VELIT IN INFERNO?

I. Indicat famem et sitim inexplicabilem. — II. Rabidam invidiam. — III. Perpetuam ruminacionem præteritorum. — IV. Perpetuam maledictionem, quam in seipsos tonabunt. — V. Sempiternum opprobrium.

THEMA.

Ibi erit fletus et stridor dentium. Matth. VIII.

Libro IV. Regum, c. XIV. et lib. II. Paralip. cap. XXV. legimus Amasiam regem abiisse in vallem salinarum et ibi cæsis decem millibus Idumæorum, alia decem millia eorum cepisse, et ex prærupto petreæ in subjectam vallem præcipitasse; indeque nomen Petreæ dedisse *jectehel*,

hoc est, *stridor dentium* (id enim sonat Hebr. ut ibi testatur Sanctius) quia scilicet Idumæi in illa dejectione et præcipitio stridorem dentium passi sunt, seu horrorem et animi angustiam inexplicabilem. Vallis illa salinarum a tot Idumæorum cædibus (ut videre etiam est, II. Reg. VIII.) necnon a vicino mari mortuo, salso et fumoso infamis, quid nisi infernum repræsentat, vallem, inquam, fumo et fœtere refertissimam? In ea reperitur prærupta quædam petra, quam Christus in hodierno evangelio appellat *stridorem dentium* adeoque *jectehel*: *Ibi erit fletus, inquit, et stridor dentium.* Ex hac rupe miseri damnati præcipitantur in penas varias, maximo horrore animique angustia; quas ex ipso *jectehel* vocabulo investigare conabimur, ut immane hoc præcipitium toto pectore horreamus, et velis remisque fugiamus.

I. Videtur indicare famem intolerabilem, quam patientur inferi, necnon et sitim, qua se cruciari fassus est epulo, Luc. XVI. Cupiunt enim exsaturare inediam suam, unde parant quasi et acunt, atque collidunt dentes, ut manducant; sed nil eis dabitur, ne mica vel gutta quidem. Simili vel potius eadem phrasi percillit Deus Israelitas per Amos prophetam, c. IV. dicens : *Dedi vobis stuporem dentium in cunctis urbibus vestris, et indigentiam panum in omnibus locis vestris, et non estis reversi ad me, dicit Dominus.* Longa enim fames contrahit gingivas, itaque hebetat et stupefacit dentes. Quid ergo faciet in inferno fames continua et æterna? De hac loquitur psalmista, Ps. XXVIII. cum ait : *Convertentur ad vesperam, et famem patientur ut canes.* Existimat Nyssenus, tract. II. in ps. cap. ult. quasi reprobi ad vesperam, h. e. sero nimis, jam damnati velint converti, sed frustra : *Famem enim patientur ut canes, h. e. penuriam omnium bonorum, eo quod salutis viaticum repulerint : Qualis, inquit, divitis, ibi esuries et sitis inter flammam fuit.* Canes famelicos vidimus invadere putrida cadavera et sordes quasvis fœtidissimas. Has invaderent damnati, velut epulas lautissimas et cupedias sapidissimas, modo eis darentur quo modo etiam prodigus saturari cupiebat e siliquis, Luc. XV. Solet cadaverum ac sordium fœtor dentes offendere, uti deprehensum in castro Carolstain regni Bohemie, quando Hussite id obsidentes vasa circiter duo millia cadaveribus et humano excremento plena, in arcem immisere. Tandem enim ea fœtorem obsessis attulere, ut omnibus infectis dentes aut deciderent, aut nutarent, uti refert Æneas Sylvius, c. XLIV. hist. Boh. Credibile est post iudicii diem omnes mundi sordes ac fœtores in infernum confluxuros. Qualis hinc

inferorum eibus! Qualis hinc mephtis eos afflictabit! Quid patientur eorum dentes? Nonne obstupescunt, nonne stridebunt? Nimirum, quia in hac vita dentibus suis carnem saginarum, vel etiam innocentes mordere consueverunt : ibi dentibus stridebunt, et famem omnium bonorum patientur ut canes.

II. Rabidam quamdam invidiam et rancorem erga beatos, eos præcipue, quos in vita oderant. Hoc enim sensu Ps. XXXVI. de peccatore dicitur : *Observabit peccator justum, et stridit super eum dentibus suis.* Quo modo videl. Act. VII. impii Judæi super Stephanum dissecabantur cordibus suis, et stridebant dentibus in eum. Quæ hujus stridoris causa? Utique quia intuentes eum omnes, qui sedebant in concilio, viderunt faciem ejus, tamquam faciem angeli, ut inquit Lucas, Act. VI. In quem locum S. Hilarius Arelatensis, hom. de S. Stephano ait : *Facies Stephani assumpsit speciem resurgentis : adversarii ad penam peccati, et tormentum invidiæ, et exprobrationem impietatis, et testimonium criminis.* Ergo Stephani gloria malevolorum erat tormentum, ut in eum dentes saltim acuerent, cui divinum splendorem detrahare non poterant. Unde S. Aug. serm. VI. de sanctis sic eos introducit stridentes : « Quid vult sibi iste homo et juvenis et pulcher, et eloquentissimus et sapientissimus homo? Nam signa magna et mirabilia facit iste homo, etc. » Et infra ait Stephanum tam gloriosum, versum ipsis esse in colubrum, qui stridere eos fecerit. *Super martyrem Stephanum, inquit, dentibus colubrinis stridebant, quem quasi serpentem in corde habebant.* Colubri quid nisi venenum possunt evomere? Et hoc evomunt invidi; ita enim S. Greg. Naz. orat. XXVII. affectum invidiæ appellat venenum invidi simul et nequissimum. *Illud, inquit, quia bonis omnibus infestus est : hoc, quia dominos suos, caest et conficit.* S. Petrus Chrysol. serm. CLXXII. eandem invidiam hospitem suorum vocat carnificem. « Hanc qui receperit, inquit, sua sustinet sine fine supplicia, quia in se domesticum semper diligit habere tortorem. » Quod verissimum est in inferis quibus gloria Dei et beatorum perpetuus est carnifex, quia eam, sed a longe, miseri intueri coguntur in æternum, ut semper inde crucientur, semper ad hoc victuri. Videri possit alicui Deus mitigasse condemnationis sententiam, prolatam in Heli summum sacerdotem, quando dixit : *Præcidam brachium tuum, et brachium domus patris sui, ut non sit senex in domo tua, etc.* Verumtamen non auferam penitus virum ex te ab altari meo, sed ut deficiat oculi, et tabescat anima tua, I. Reg. II. At non ita est, sed auxit illi potius hac appendice penam : promittit

enim ipsi semen, sed quod coram oculis suis perpetuo aspiciat alium sedentem in sede patris sui summum sacerdotem cui ipsum subesse, et parere, flectereque genua debeat, sine ulla spe recuperandi sedem illam. Maximum id erat filiis Heli tormentum; siquidem. *Invidiæ sicuti non invenere tyranni majus tormentum,* ait Horatius, epist. I. Eandem ob causam B. Petrus, cum oratione sua Simonem magum ex aere volantem dejecisset, petiit a Domino, ut ad suum tormentum non omnino contereretur lapsus, sed aliquamdiu superstes esset : *Decidat Domine, inquit, sic tamen, ut nihil se potuisse vivens recognoscere,* ut Hegesip. l. c. de excidio Jerosol. refert. Itaque damnati ad hoc vivunt, ut veluti canes alligati ad catenam videant se jam nihil adversus Deum et beatos posse : itaque dentibus fremant et tabescant, et seipsos vorent : gloriam sanctorum et suam confusionem cum stridore aspiciant.

III. Perpetuam quasi ruminacionem et recordationem præteritorum suorum scelerum et insaniarum : necnon et deliciarum olim habitatum; quibus se incauti præcipitarunt in eas gehennæ calamitates : quo modo boves famelici pabulum jam depastum revocant in os e stomacho et dentibus suis ruminant. Id testatur Sapiens, Sap. IV. *Venient in cogitatione peccatorum suorum timidi, et traducent illos ex adverso iniquitates eorum.* Hac de causa Abraham revocavit epulonem in memoriam pristinas delicias ad ipsius majus tormentum : *Memento filii, quia recepisti bona in vita tua,* Luc. XVI. Ipse etiam dæmon cuidam avaro morienti in diœcesi Coloniensi pecunias identidem in os ingerebat, quas ille masticaret. Hic enim interrogatus, cur ita dentibus strideret, et quid manderet : *Pecunias, inquit, meas injuste comparatas mastico et devoro, quas ingerit mihi diabolus, ut refert discipulus in promptuario; Valentinus Leuchius, in horto regio. Simili quadam ratione ex ejusdem dæmonis molitione dicebant perfidi illi Hebræi : Recordamur piscium, quos comedebamus in Ægypto gratis : in mentem nobis veniunt cucumeres et pepones, etc.* Num. XI. Habebant illi sapidissimum manna, nec tamen eo contenti suspirabant ad priores carnum, piscium et frugum cupedias : quis sensus erit damnatis, quando omnibus destituti recordantur habitatum olim bonorum? Quam eis prurient dentes? Quanto eorum stridore sua ruminabunt convivium olim instructa lautissime? Omnes hæc lautitiæ convertentur eis in amaritudines juxta verbum Isa. c. XIV. factum ad Balthasarem splendide convivantem : *Detracta est ad inferos superbia tua : concidit cadaver tuum, (Septua-*